INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXIII—IV.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. LIC. HUGONIS WEISS** DE AETATE, QUA OBADJA PROPHETA VATICINATUS SIT COMMENTATIO.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1873

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. JOS. BENDER,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Dolendum est, quod de vita Obadjae prophetae vaticinio brevi quidem sed gravi perillustris nihil fere certis auctoribus comperimus. Recte jam Rosenmuellerus sic conqueritur: „Obadias quis fuerit, quo loco natus, quibus parentibus editus, quonam vitae genere, qua conditione usus fuerit, quum haud quidquam de eo literis proditum sit, nos penitus latet[1])". Quapropter nostris temporibus S. Scripturae interpretes, quum de persona et vita prophetae vagas atque incertas conjecturas proferre merito dubitent, id solum dant operam, ut aetatem qua locutus sit Obadja ex ipsius libello perspiciant. Minime tamen omnes in tempore illo circumscribendo consentiunt: etiam in recentioribus scriptis in studium Veteris Testamenti introducentibus variae discrepantesque sententiae enumerantur, quaenam vero ceteris praeferenda sit, in dubio relinquitur[2]). — At ne justo acerbius judicare videamur, libenter concedimus, non omnem omnium virorum doctorum operam in hac quaestione tractanda perditam fuisse. Videntur enim abhinc nonnullos annos, opinionibus quibusdam veterum interpretum rejectis, aequalium nostrorum de hac re studia magis magisque inter se convenire, ita ut de plena futura consensione non sit desperandum. Nos quoque ad constituendam illam concordiam disputationibus sequentibus aliquid attulisse putamus.

A paucis tantum rerum Israelitarum scriptoribus etiamnum defenditur sententia olim fere communis, Obadjam tempore Jeremiae prophetae paullo ante vel post Hierosolyma a Chaldaeis diruta sexto saeculo a. Chr. n. orationem suam habuisse[3]). Quae opinio nitebatur his duabus praesumptionibus: Obadjam usum esse verbis Jeremiae, et expugnationem Hierosolymorum urbis in oraculo nostro com-

---

[1]) Rosenmuelleri scholia in vet. Test. pars VII, vol. II, p. 272. — [2]) Cf. Reusch, Lehrbuch der Einleitung in das alte Test. ed. III, p. 88.

[3]) Gesenius, Comment. ad Jes. p. 905; Theiner, Die zwölf kleinen Propheten, p. 147; Winer, Bibl. Realwörterbuch, ed. III, tom. II, p. 168. Ackermann, Introductio in libr. sacros p. 244, alii; cf. Jäger, Das Zeitalter Obadja's, p. 15. Haneberg quoque — Geschichte der bibl. Offenbarung, p. 329 et 502 — et Ewald — Geschichte des Volkes Israel, tom. III, pars II, p. 20; Die Propheten des alt. Bundes tom. I, p. 398 — huic sententiae adhuc favent.

memoratam sine dubio aetate Nebucadnezari factam esse. — Tempus vero perderemus, si post acutas atque perfectas a Caspario et Jaegero institutas argumentationes[4]) lectores longis demonstrationibus defatigaremus et doceremus, omnino non Obadjam a Jeremia sed Jeremiam ab Obadja mutuatum esse. Praeterea minime, utut ex deductionibus nostris apparebit, vim verbis facit si quis calamitatem in vaticinatione descriptam temporibus quibusdam attribuit, quae longe distant ab expugnatione Babylonica. Atque ita ambabus praesumptionibus labefactis sententia illa a plerisque missa est. — Prorsus oblivioni tradita est Hitzigii opinio, Obadjam fuisse Judaeum brevi post annum trecentesimum duodecimum a. Chr. n. in Aegypto viventem[5]). Denique perpaucorum tantum comprobationem aliae quaedam conjecturae assecutae sunt, quas omnes hic enumerare longum est[6]).

A recentioribus interpretibus duo solummodo proferri solent opiniones de aetate Obadjae: alii eum regis Jorami (889—882) alii Usiae regis (809—758) tempore floruisse et vaticinatum esse affirmant. Et hos et illos multi doctissimique viri sequuntur[7]). Nobis quidem, ut jam hoc loco totius dissertationis nostrae summam et caput indicemus, persuasum est, Obadjam Usia rege imperium modo ineunte oraculum suum edidisse, id quod argumentis parum adhuc erutis probabimus. Praeterea autem Obadja rerum quarundam tempore Jorami regis gestarum meminisse et in vaticinio suo mentionem fecisse nobis videtur, quo fit ut nostra sententia quodammodo media se interponat inter duas illas aequalium opiniones. Quam priusquam accuratius explicemus paucis verbis totius vaticinationis summam proponamus oportet.

Complectitur oratio tres partes clare inter se differentes. Praemissa brevi introductione (v. 1.) propheta primum versibus 2—9 horrendum atque absolutum Idumaeorum interitum praedicit. Fore ut neque oppida eorum natura loci munita neque pristini amici et socii neque ipsorum celebrata sapientia resistant ferantve auxilium. Neminem cogitatione sibi depingere posse magnitudinem atque atrocitatem futurae cladis. — Secunda prophetiae pars — vv. 10—16 — causas interitus Idumaeorum enumerat. Arguuntur Idumaei societate belli saevissimi, quod exterae gentes aliquando Judaeis intulerint (vv. 10—11). Tum monentur a propheta, ne contra Judaeos nefanda quaedam et infestissima facinora iterum committant, qualia jam inter bellum illud cum exteris nationibus gestum commiserint (vv. 12—14). Versibus 15 et 16 Idumaeis indicitur, poenam accurate responsuram esse flagitiis ab ipsis olim confectis. — Sub finem vaticinii (vv. 17—21) Obadja beatum praevidet et praenuntiat tempus messianum: Idumaeis devictis populum Israeliticum unitum regnante ipso Jehova imperii sui fines quoquoversus propagaturum esse; omnes etiam captivos populi, et aetate prophetae vaticinantis et priore bello abductos in patriam sanctam esse redituros.

---

[4]) Caspari, Der Prophet Obadja, p. 5 sqq.; Jäger, l. c. p. 3 sqq. — [5]) Hitzig, Die zwölf kleinen Propheten, ed. I, p. 342 sq.

[6]) Vaihingerus — cf. Merx, Archiv, vol. I, p. 488 sqq. — prophetiam nostram temporibus Joae regis (873—838) adscribit. Argumentorum ab eo prolatorum hoc unum grave est: similitudo inter prophetias Obadjae et Joëlis. Num autem inde colligatur necesse est, prophetas iisdem ipsis annis opuscula sua scripsisse? De expugnatione Hierosolymorum regnante Joramo facta Vaihingerus notionem tenere non videtur, l. c. p. 488; falsa denique est opinio, ea quae vaticinati sint Obadja et Amosus evenisse tempore Amaziae (838—809), quoniam Amosus, ut inscriptio libelli indicat, minas suas propheticas contra Idumaeos effatus est regnante Usia Amaziae successore.

[7]) Illam sententiam tenent: Hoffmann, Weissagung und Erfüllung, p. 201; Keil, Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung, p. 209 et Commentar, p. 249. Delitzschius quoque hic nominandus est propter dissertationem suam: Wann weissagte Obadja? in „Zeitschrift für luth. Theologie" 1851, p. 102, — quacum tamen conferas ejus judicium ibid. p. 309. — Obadjam Usiae temporibus locutum esse contendunt cum aliis: Hengstenberg, Bileam, p. 253 sqq. Jäger, l. c. p. 50; Caspari, l. c. p. 49; Schegg, Die kleinen Propheten, p. 370; Kusznitzki, Joël, Amos, Obadja, qua aetate et quibus de rebus sint locuti, p. 41 sq.

Jam hoc prophetiae argumentum proponentes duo significavimus bella, quae nobis vaticinii Obadjani termini esse videntur, quum ceteri omnes S. Scripturae interpretes adhuc unam tantum calamitatem causam vaticinationis fuisse perperam contendant. Quantum autem nos judicare possumus, alterum bellum gestum est tempore Jorami regis c. 884 a. Chr. n. alterum continuo post Amaziae regis mortem et sub initium imperii Usiae, c. 810—808; quo posteriore bello exardescente Obadja divinasse censendus est.

1. Compluries populus Judaeorum bellis infelicibus in talem conditionem funestam atque afflictiorem devenit, qualem Obadja versibus 10—16 depingit. Diligenter igitur inspiciamus et vaticinationem nostram et historiam Israeliticam, contingatne nobis, ut ex notis quibusdam et vestigiis res adversas prophetae ante oculos versantes agnoscere et circumscribere possimus.

a. Primum quidem expugnatio et spoliatio Hierosolymorum a Sisako rege Aegyptiorum facta totum nostrum occupat animum, quamvis Casparius et Keilius res tum temporis gestas leviter tantum attingant et tanquam longiore respectu indignas excludant[8]). Casparius expugnationem illam hic non respiciendam esse arbitratur, quod tam antiquis temporibus (regnante Rehabeamo filio Davidis) scripta prophetica componi nondum potuerint. Quae opinio facile potest refelli. Nemo enim miratur, quod Obadja a permultis viris doctissimis nono saeculo a. Chr. n. adscribitur. Quid ergo? nonne decimo quoque saeculo data graviore occasione prophetae vaticinari et libellos suos conscribere potuerunt, praesertim quum David propheta vere regius, auctor aetatis aureae literarum Hebraicarum jam multo ante, ineunte decimo saeculo, carmina sua composuisset?[9]) — Keilius bellum illud Aegyptiacum praetereundum esse censet, quod Idumaei tunc Judaeorum imperio subjecti facinora ab Obadja ipsis adscripta committendi non habuerint potestatem. Ewaldius autem quaestionem nostram non respiciens ideoque tanquam medius nec in cujusdam favorem inclinatus in tradenda historia populi Israelitarum demonstravit, illa ipsa Aegyptiorum incursione factum esse, ut Idumaei Judaeorum servitutem exuerent[10]). Itaque Casparii et Keilii demonstrationes non impediunt quominus Idumaeos cogitemus capessivisse partem istius belli adversus Judaeos. — Praeterea ex S. Scripturae narratione de Sisaki irruptione (II Chr. 12, 2—12; I Reg. 14, 25 sqq.) facile perspicitur, totam civitatem Judaicam tunc temporis maxima calamitate fuisse oppressam. Obadja quoque ad describendam populi sui cladem verbis utitur gravibus atque acerrimis (cf. vv. 12 sq.). In exercitu Sisaki militabant Libyes, Troglodytae (LXX et Vulg.; in textu hebraico legitur Sukkijim), Aethiopes — vere igitur exterae nationes (cf. Obad. v. 11: *sarim)* in urbem sanctam irruentes. Tum constat Aegyptios secum captivos ex Judaea deduxisse (Obad. v. 20). Thebis enim Aegyptiacis, cujus inter urbis ruinas nunc Karnak pagus situs est, Sisakus rex in muro permagni templi depictus est Ammoni deo Aegyptiorum complures captivos producens. Quorum nonnulli expressam habent faciem judaicam, imo capiti unius circumscripta sunt haec verba: TUT HAMLK i. e. Juda regnum. Itaque quod de Sisako S. Scriptura refert hac pictura non solum confirmatur sed etiam expletur, quum captivorum loco citato (II Chr. 12, 2 sqq.) non facta sit mentio[11]).

---

[8]) Caspari, l. c. p. 19; Keil, Commentar, p. 245.

[9]) Praeterea Casparius versus 10 sqq. ad res regnante Rehabeamo gestas referre dubitat, quod Obadja vaticinium Joëlis prophetae, posteriore aetate viventis excerpsisse videatur. Nondum vero ex causis interioribus certo colligi potuit, uter propheta ex alterius oratione verba sententiasque sumpserit; cf. Delitzsch, Zeitschrift etc. p. 101.

[10]) Ewald, Geschichte etc. tom. III, pars I, p. 179 et 188. Tum etiam Philisthini servitutis jugum a Davide ipsis eodem tempore quo victis Idumaeis impositam excusserunt.

[11]) Uhlemann, Handbuch der aegyptischen Alterthumskunde tom. III, p. 222. — Nullo modo haesitavimus hac in re explicanda Uhlemannum sequi Seyffarthii discipulum, quum etiam ex Champollionis ejusque discipulorum judicio imago

Non negamus nos propter rationem, quae Obadjae prophetiam inter et locos S. Scripturae allatos intercedit, aliquamdiu animo fluctuasse et iterum ac saepius nobis proposuisse quaestionem, an Obadja versibus 11 sqq. bellum a Sisako contra Judaeos gestum describere voluerit. Deposuimus autem istam sententiam his de causis. Si secundam partem vaticinii Obadjani attente perlegeris facile cognosces, prophetae tempore cladem Judaeorum fuisse mere calamitatem deplorandam non vero poenam propter falsorum deorum cultum vel propter alia scelera iis irrogatam; imo potius Obadjae aequales nullis facinoribus culposis videntur fuisse contaminati[12]). Prorsus aliter res se habebat temporibus Rehabeami regis. Cf. v. gr. II Chr. 12, 1: „Roboam dereliquit legem Domini et omnis Israel cum eo". (Vulg.); I Reg. 14, 22: „Et fecit Juda malum coram Domino et irritaverunt eum super omnibus quae fecerant patres eorum in peccatis suis quae peccaverunt" (ibid.). Quam ob rem miseria, qua tum temporis Judaei opprimebantur, nil erat nisi poena promerita. Cf. II Chr. 12, 2: „Ascendit Sesak rex Aegypti in Jerusalem, quia peccaverant Domino". Ergo Obadja tempora modo adumbrata non intuitus est. — Idem ex eo effici cogique potest quod Sisakus rex Hierosolymitanos clementer tractavit. Vaticinium enim Obadjanum una cum tota provincia Judaica regni quoque caput Hierosolyma magnis vexationibus cruciata ostendit. Hostes superbi atque rapaces sortiti sunt inter se de urbis incolis eorumque possessione et compotatione impudica montem sacrum polluerunt (vv. 11 et 16). At contra Sisakus — cf. II Chr. 12, 2 sqq. — thesauris templi et domus regiae direptis urbis incolas contremiscentes et humillime Jehovam invocantes molestia non affecit. Cf. imprimis v. 7: „Quia humiliati sunt non disperdam eos daboque illis pauxillum auxilii et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac" (Vulg.) Cf. ibid. v. 12. — Proinde a longiore perscrutatione expugnationis istius degressi breviter perstringamus

b. calamitatem Judaeis tempore Amaziae a Joa Israelitarum rege illatam. Cf. II Reg. 14, 13 sq. II Chr. 25, 23 sq. Ex Jaegeri opinione Idumaei ab Obadja acerbe vituperantur, quod hoc ipso bello saeviente Judaeis detrimentum quam maximum importassent[13]). Quam sententiam cum ceteris omnibus interpretibus repudiamus praesertim quum Judaeorum hostes in versu 11. *sarim* et *nochrim* i. e. exterae gentes nominentur, quibus nominibus Israelitas Judaeis consanguinitate propinquos vocare non licuit.

c. Pariter negamus prophetam ad vaticinandum incitatum esse cladibus illis funestis, quas Acha regnante (742—727) Judaei a Syris, Israelitis, Idumaeis, Philisthinis acceperunt. Cf. II Chr. 28, 5—8. 17, 18. Hierosolyma enim ipsa tunc non expugnata sunt, id quod non solum II Reg. 16, 5, sed etiam Jes. 7, 1 praedicatur, quum ex versibus 11 et 16 vaticinii nostri colligendum sit, Judaeorum hostes urbem sanctam ingressos esse. Unde sequitur ut Obadja et Chronista II, 28 duas explicent res plane inter se separandas[14]).

---

supra descripta narrationem S. Scripturae comprobet. Cf. Ewald, l. c. p. 178; Gratz, Schauplatz der h. Schrift, ed. II. p. 90. Ardore controversiae inter Aegyptologos diu gestae paullatim temperato nostris temporibus omnino Champollionistae gravitatem perscrutationum hieroglyphicarum Seyffarthii magis magisque agnoscere et aliqua ex parte collaudare incipiunt. Cf. Ebers in Zarncke, Literar. Centralblatt 1872, Nr. 47.

[12]) Vaihingerus quoque l. c. p. 490 recte hanc populi conditionem urget. Cf. Keil, l. c. p. 249. — [13]) Jaeger, l. c. p. 50.

[14]) Quam sententiam modo refutatam Cornelii a Lapide multorumque aliorum interpretum nuper defendit: Danko, Historia revelationis div. Vet. Test. tom. I, p. 409 sq. „Satis, inquit, liquet v. 12 (?) — 16 Abdiam de rebus futuris tanquam de praeteritis more prophetarum loqui .... Hierosolymas captas esse non dicit Abdias. Cum Abdias dicit v. 11 „extranei ingrediebantur portas ejus" referuntur ista ad urbes plurimas, quas Syri, Philistaei, Idumaei occupabant; verba vero: et super Jerusalem mittebant sortem sc. utris ipsorum post expugnationem cederet". At nostro judicio interpretibus istis non licuit verbis praeteritis absque gravi causa modo historicam modo propheticam vim attribuere. Cur enim versus

d. Denique rejicimus eorum sententiam, qui in prophetia Obadjae (vv. 10 sqq.) descriptam vident regni Judaici conditionem temporibus belli chaldaici enatam. Constat inter omnes fere interpretes, Obadjam multo ante Jeremiae aetatem vaticinatum esse. Quod qui concedit contorta tantum interpretatione conjecturam illam defendere potest, quum et verbis oraculi vim inferat et gravissimam quandam notam uniuscujusque vaticinii Veteris Testamenti negligat necesse sit. — Quam sane periculosam atque lubricam viam recentiore tempore imprimis Casparius in praefatione commentarii sui saepius a nobis laudati iniit, secutus Theodoretum, principem illum celeberrimum scholae Antiochenae [15]). Cogitur enim primum Casparius praeteritis historicis *ba'u*, *jaddu* (v. 11) *schethithem* (v. 16) significationem futuri exacti vel praeteriti quod dicitur prophetici tribuere: Obadja, qui ipsius quoque sententia ducentis vel trecentis annis ante irruptionem Nebucadnezari oraculum suum edidit, tanquam in fine totius futurae calamitatis collocatus et retrospectans vaticinatus esse cogitatur. Nos quidem tali versioni vix concordanti cum simplici structura grammatica assentire dubitamus [16]). — Praeterea tantum abest ut Veteris Testamenti prophetae vaticinentur rationem non habentes aequalium suorum, ut omnes vates sacri ex rebus praesentibus exeuntes divina inspiratione impleti ascendant ad res futuras, quibus edoceant, consolentur, perterreant aequales suos [17]). Obadja autem si reapse Idumaeos, post futuram expugnationem Hierosolymorum Judaeam vexantes, allocutus est, prophetiam pronuntiavit neque origine sua neque exitu cum rebus praesentibus cohaerentem. Quod vere inauditum est. — Rejecta igitur ista Casparii sententia jam demonstrabimus, solum bellum illud a gentibus exteris contra Judaeos regnante Joramo gestum priorem vaticinii Obadjani terminum esse.

2. Post felicem aetatem Asae (955—914) et Josaphati (914—889) rege Joramo (889—882) opes Judaeae adeo attritae ac fractae sunt, ut usque ad tempora Usiae (809—759) non possent reparari. Calamitatum tunc ingruentium atrocissimae erant periculosa Idumaeorum rebellio [18]) (II Reg. 8, 20—22; II Chr. 21, 8—10) et perniciosa incursio Philisthinorum et Arabum (II Chr. 21, 16 sq.).

---

11. tantum, non vero versus 16. expugnationem Hierosolymorum clare docens ad tempus prophetae refertur? — Praeterea Danko non rationem habuit gradationis, quae in versu 11. nobis occurrit, quo versu pronuntiatur: (Hostes) non solum bona fortunasque (*chel*) asportabant sed etiam in oppida irrumpebant, — imo „super Jerusalem mittebant sortem". Manifestum est, hac ultima gradationis parte ipsam captae urbis spoliationem significari, non irritum tantum despoliandi consilium.

[15]) Theodoreti op. omn. ed. Schulze, tom. III, p. 1543: *ταῦτα δὲ οὐχ ὡς γεγενημένα ἀλλ' ὡς ἐσόμενα προλέγει κατὰ τὸ οἰκεῖον ἰδίωμα.*

[16]) Kusznitzkius quamquam Casparii argumentationem non sequitur, nihil tamen impedire dicit, quominus perfectum *schethithem* pro futuro exacto adhibeatur. „Nonnulli interpretes, inquit, in uno eodemque versu verbum *schatha* duas varias significationes habere putant; primum enim vim potandi tribuunt verbo, iterum ac tertium addunt vocem aliquam ut *kos hatar 'elah*, quae vox profecto ter cogitatione addenda est ut vim habeat verbum poenas solvendi vel luendi. Quodsi jam absurdum est unam vocem aliter in propositione, aliter in consequentia vertere, comparatio, quae voce *kaascher* introducitur, prorsus vacillat et claudicat..... Immo vero hujus versus sententia una est ea: Nam ut vos (scil. Idumaei poenas solvendi causa) biberitis propter montem meum sacrum, ita omnes gentes semper bibent etc." L. c. p. 38 sq. — Concedimus hanc Kusznitzkii interpretationem licitam esse. Nihilominus nobis sententia illa a K. repudiata minime videtur absurda esse. Duae enim istae variae significationes „potandi" et „bibendi irae calicem" (cf. Jes. 51, 17; Jer. 49, 12) inter se intime cohaerent, ita ut annominatione facta sermo sit perplexus ac mysticus, quo loquendi genere prophetae haud raro usi sunt. Cf. *Ariel* illud in Jes. 29, 1 sq. Schegg, l. c. p. 389. Non est omittendum hostes in monte sacro potasse propter victoriam modo reportatam. Itaque versus decimi sexti sententia satis bona est haec: victoriae vestrae concelebratione montem Jehovae profanastis; idem Jehova vos (et ceteras gentes hostiles) plane devincet.

[17]) Cf. Reinke, Beiträge zur Erklärung des alten Test. tom. II, p. 30, 33; Schegg, l. c. p. 373.

[18]) Idumaei quamvis a Joramo acerbam accepissent cladem tamen sui juris manebant (II Reg. 8, 23; II Chr. 21, 10); simul autem inde intelligi potest, qua de causa Idumaei in saevitia sua et odio contra Judaeos perseverantes se hostibus illis exteris in societatem belli obtulerint.

Cujus belli imaginem Chronista breviter tantum sed gravibus verbis expressit, ita ut facile appareat, rem publicam Judaeorum tunc in summis angustiis versatam esse. Primum jam magni momenti est, quod Jehova Joramo regi plagam futuram praedixit[19]). Tum hostes totam depopulati sunt provinciam et Hierosolyma urbem invaserunt „diripueruntque cunctam substantiam quae inventa est in domo regis insuper et filios ejus et uxores: nec remansit ei filius nisi Joachaz qui minimus natu erat" (Vulg. l. c. v. 17)[20]).

Cui Chronistae narrationi simillimum est, quod Obadja versu 11. refert, unde optimo jure nobis movetur suspicio, hagiographos nostros unam eandemque depingere calamitatem. Porro autem si rationem Obadjam inter et Joëlem prophetam intercedentem perspexerimus jam nullum nobis dubium erit, quin Obadja bellum Joramo regnante gestum ante oculos habuerit. Sententiae enim et verba vaticiniorum amborum permultis locis evidenter se attingunt[21]), quod fieri non potuit nisi alter propheta in communi quadam re describenda alterum respexit. Fere omnes autem S. Scripturae interpretes nostris temporibus inter se consentiunt[22]), Joëlem, initio regni Joae (873—838) viventem, in capite quarto prophetiae suae calamitates rege Joramo Judaeam vexantes in medium proferre. Pro certo ergo habendum est, Obadjam quoque de rebus tum temporis gestis locutum esse.

3. Attamen propius accedentes ad quaestionem nostram persolvendam videamus, num Obadja Joramo adhuc regnante (vel statim post bellum a gentibus exteris motum) vixerit, id quod nuperrime Keilius contendit, an aliquamdiu posterius.

a. Apparet ex versu vigesimo vaticinii, sortem miserabilem Judaeorum a Philisthinis ceterisque nationibus deductorum tempore Obadjae jam certam notamque fuisse. Quorum domicilium longinquum erat Sepharad[23]). At priusquam ultima captivorum fata evenissent et tanquam consolidata essent, complures certe anni transibant[24]). Qua de causa non est verisimile Joramum regem, qui non diu superstes erat populi sui calamitati (II Chr. 21, 19), fuisse Obadjae aequalem.

b. Jorami successor Achasja ejusque mater impia Athalja — imo fortasse jam ipse Joramus abominandam Phoenicum idololatriam in Judam introducere conati sunt (II Chr. 22, 3)[25]). In vaticinio autem Obadjae non fit commemoratio ejusmodi reprehendendi regum facinoris. Quum igitur

---

19) Cf. II Chr. 21, 14.

20) Mirum est quod Keilius in Commentario suo in Chronicorum libros p. 300 loco Chronicorum supra laudato expugnationem Hierosolymorum non indicatam esse putat; imo respuit hanc sententiam, quam Moversio, Crednero, Hitzigio aliis tribuit, — oblitus ipsum se in Commentario suo in Obadjam p. 246, 257 sqq. eandem proposuisse.

21) Omnes vaticiniorum locos congruentes verbis et sententiis contulit Jaegerus, l. c. p. 47 sq. Uter tamen propheta alterum aetate antecesserit, ex interioribus vestigiis vix potest colligi. Joëlem Obadjae anteponunt: Jaeger, l. c. p. 49; Caspari, l. c. p. 20 sq. Schegg in Wetzer et Welte, Kirchenlexikon, tom. VII, p. 675 sq.; — Obadjam Joëli: Delitzsch, Zeitschrift etc. 1851 p. 101, Keil, Comment. in Obad. p. 245 sq. Schegg, Comment. p. 370 sq. — Quae quaestio difficilis dissolvi non potest nisi prophetiae omnino distinentur et utriusque origo inquiritur. Nostrum fuit, solius Obadjae aetatem certis terminis circumscribere.

22) Cf. Delitzsch, Ueber zwei sichere Ergebnisse in Betreff der Weissagungsschrift Joëls. Zeitschrift etc. 1851. Enumerantur l. c. viri docti: Credner, Movers, Hitzig, Ewald, Hoffmann, Meier, Vaihinger, Bauer, Winer alii.

23) S. Hieronymus — ed. Migne, tom. VI, p. 1115 — de verbo illo etiam nunc obscuro haec annotat: „Nos ab Hebraeo, qui nos in Scripturis Sanctis erudivit didicimus, Bosphorum sic vocari". Recentiore tempore interpretes saepius animum adverterunt ad inscriptionem a Nibuhro — Reisebeschreibung, tom. II, tab. XXXI — in lucem prolatam, in qua inter Joniam et Cappadociam Sa Pa RaD regio commemoratur. — Fortasse autem hoc loco paullulum commutatam habemus vocem „Sparta" similiter sonantem. Cf. Haneberg, Einleitung p. 502.

24) Cf. Delitzsch, l. c. p. 309. — 25) Cf. Ewald, Geschichte etc. tom. III, I, p. 235.

nulli prophetae eodem tempore vigenti tanta scelera silentio praeterire licuisset, Obadja sine dubio posteriore tempore opusculum suum conscripsit.

c. Imprimis sententiae illi repugnat, quod vates noster versibus 12—14 Idumaeos praemonet, ne gaudeant de Judaeorum cladibus, ne irrumpant in urbes neve fugientes interficiant etc. Quamvis interdum prophetae vehementer concitati menteque fervidi concionati sint, minime tamen ejusmodi admonitiones ad res jam praeteritas possunt referri. — Nemo adhuc satis haec Casparii verba (l. c. p. 29) revicit: „Jemanden vor einer That, die er schon gethan hat, zu warnen, ist auch dann, wenn diese Warnung nur im Geiste unter Vergegenwärtigung der That geschieht, höchst sonderbar". Delitzschius, qui opinionem a nobis rejectam defendit difficultates interpretationi suae obstantes non praeterit l. c. p. 96 affirmans, monitum illum sane mirabilem esse ac singularem. — Nos quidem admonitionem ad res futuras trahentes arbitramur, vaticinationem nostram pronuntiatam esse paulo ante calamitatem quandam — alterum prophetiae terminum — septuaginta circiter annis post Jorami regis mortem.

4. Obadja enim exstitit initio regni Usiae (809—759).

Idumaei postquam aetate Jorami libertatem assecuti sunt proprio electo rege longum per tempus suae potestatis erant. Quod certe Judaei pristini sui imperii haud immemores aegerrime ferebant. Itaque quum Joa rege imbecillo atque inerti mortuo Amazia filius fortis et bellicosus regnum adeptus esset (838—809), Judaei confestim Idumaeis bellum intulerunt eosque tanta caede prostraverunt, ut opes civitatis Idumaicae vehementer affligerentur. Cf. II Reg. 14, 7; II Chr. 25, 5 sqq. Decem millia hostium interfecti, decem millia captivorum a rupibus dejecti sunt. Petra quoque civitatis arx et urbs nobilissima expugnata est. Quid mirum, quod propterea Idumaei, sempiterni Judaeorum hostes, cupiditate ulciscendi ardebant ideoque aliqua ex parte in eadem conditione qua temporibus Jorami versabantur! Cf. p. 7. not. 18. — Commoda ulciscendi occasio iis data est, quum Amazia a Deo in manus Joae regis Israelitarum traderetur, cui fortuna elatus sua sponte bellum indixerat. Jam antea milites Israelitici, quippe qui adjuturi Judaeos in bello contra Idumaeos gerendo ab Amazia superbe repudiati et remissi essent, Judaeam devastaverant et tribus millibus incolarum interfectis praedam magnam diripuerant (II chr. 25, 13); profligatis autem Judaeorum copiis a Joa rege rei publicae miseria ad summum pervenit fastigium. Magna pars muri Hierosolymorum urbis destructa est „omne quoque aurum et argentum et universa vasa quae repererat (Joas) in domo Dei et apud Obededom in thesauris etiam domus regiae necnon et filios obsidum reduxit in Samariam". (Vulg. II Chr. 25, 22 sqq.; II Reg. 14, 12 sqq.) — Atque ita etiam Judaea in statum deteriorem descenderat haud dissimilem conditioni iniquae, qualis fuerat temporibus Jorami[26]). Quae regni infirmitas omniumque rerum perturbatio — paullo post admodum aucta trucidatione Amaziae regis (Lachide in urbe prope fines Philisthaeae sita) — finitimis gentibus infestissimis, imprimis Philisthinis, Arabibus, Ammonitis, pristinis Idumaeorum sociis sine dubio optata avidissimeque arrepta fuit occasio ferociter irrumpendi in Judaeam. Ipsos quoque Idumaeos, quorum copiae interea aliquantulo creverant tunc partibus gentium illarum se adjunxisse et Judaeos aggressos esse verisimillimum est, ita ut omnino tempora dura Jorami redire viderentur. Isto ipso momento, quum Usia modo imperium inierat, Obadja exstitit hunc in finem a Deo missus, ut Idumaeos consanguineos propter acerbitates Judaeis olim illatas vituperaret, tum ipsos moneret ne easdem iterarent, ut denique futuram Judaeorum victoriam

---

[26]) Quantopere civitatis Judaicae opes ex Josaphati temporibus paullatim minutae sint perspici potest ex comparatione inter istius regis exercitum et Amaziae copias instituta. Cf. II Chr. 17, 14 sqq. et II Chr. 25, 5.

quum de ceteris gentibus infestis tum de Idumaeis reportandam praenuntiaret[27]). — Quam ex rerum progressu erutam sententiam hisce possumus comprobare argumentis.

a. Usia rex non minus prudentia quam fortitudine insignis haud multo post Israelitarum irruptionem magnis adhuc calamitatibus Judaeam opprimentibus, imperium suscepit. Quam ob rem ipsi certe cavendum erat, ne civitatis opes ab Israelitis modo concussas initio regni novis bellis denuo et multo magis refringeret. Nihilominus primum ejus opus erat — bellum contra Idumaeos, Philisthinos, Arabes, Ammonitos (cf. II Reg. 14, 22; II Chr. 26, 2. 6—8). Diu et acriter tunc proeliis decertatum est, nam Aelath, quae urbs Idumaeorum prope sinum orientalem maris Arabici sita erat, ex meridie Petrae capitis regni Idumaici[28]), ab Usia diruta posteaque de integro condita est. Quam qui expugnare conabatur certe antea totam Idumaeam in potestatem suam redegerat. — Similiter ceteras gentes Usia plane devicit. Itaque optimo jure quaeritur, quidnam Usiam ad bella illa periculosa suscipienda impulerit. Nimirum nihil nisi hostium illorum devictorum impetus antecedens. Unde non tantum, ut supra diximus, verisimile est sed potius sine ullo dubio constat, Idumaeos una cum gentibus illis paullo ante quam regnare coepit Usia Judaeae arma intulisse[29]). Ergo sententia nostra Obadjam bello modo exardescente vaticinium suum et consolandi aequales et deterrendi causa pronuntiasse optime cum rebus tum gestis convenit.

b. Judaei temporibus Usiae fideliter Jehovam colebant ac venerabantur. Libenti autem animo legibus Veteris Testamenti obtemperabant inde ab aetate Jojadi pontificis, cujus opera statim post Athaljae mortem (878) factum est, ut Judaei idololatriam exstirparent et funditus tollerent. Cf. II Reg. 11, 18: „Ingressus est omnis populus terrae templum Baal et destruxerunt aras ejus et imagines contriverunt valide...“ Vulg. Quum Jojada mortuo iterum breve per tempus simulacra deorum commenticiorum in lucis templisque a principibus Judaeorum Joa rege imbecillo annuente exstruerentur et colerentur (II Chr. 24, 17), tantum aberat ut major pars populi vestigia nobilium paucorum premeret, ut facinora illa aulae regiae aegerrime ferens impediret, quominus Joas postea trucidatus in sepulcro regum Judae sepeliretur (II Chr. 24, 23)[30]). Quod forte supererat idololatriae inter multitudinem paullatim evanuit tempore Amaziae regis (838—809), qui quum cultui deorum Idumaeorum faveret adeo totius populi indignationem movit, ut seditione exorta Hierosolymis cedere cogeretur[31]). — Itaque quo momento Usia imperium excepit, omnes fere Judaei religionem suam veterem a patribus traditam integram servabant. Et revera nusquam in Obadjae vaticinio ullum delictum seu familiae regiae seu populi contra cultum Jehovae commemoratur, id quod non solum nobis sed etiam ut supra monstravimus (p. 6.) Vaihingero et Keilio notatu dignum visum est. Imo populus ut ex prophetia nostra

---

[27]) Similiter Scheggius l. c. p. 370 quaestionem nostram tractavit non satis tamen respectu habito similitudinis rerum temporibus Jorami et Usiae (vel Amaziae) gestarum. Quam si non urgemus, difficile est intellectu, quare Obadja non solum praesentium sed etiam praeteritorum temporum mentionem fecerit.

[28]) Winer, Bibl. Realwörterbuch ed. III, p. 313.

[29]) Irruptionem finitimarum gentium antecessisse expeditionibus Usiae cum aliis interpretibus Ewaldius l. c. p. 242 demonstrat merito docens, complura Amosi prophetae effata de Idumaeis (1, 11; 9, 12) ea tantum conditione clare intelligi posse.

[30]) Cf. II Chr. 21, 19 sq., ubi narratur, populum Joramo impio non fecisse exequias „secundum morem combustionis“, sicut fecerat majoribus ejus; „et sepelierunt eum in civitate David, verumtamen non in sepulcro regum“. Admirandum est quod ne tunc quidem dum Athalja regina impiissima summa sua vi atque auctoritate abutebatur, omnis erga Jehovam pietas exstincta erat.

[31]) II Chr. 25, 17: „Qui postquam (hebr. *me 'eth*) recessit a Domino tetenderunt ei insidias in Jerusalem“ (Vulg.) „Postquam“ illud sine dubio idem est quod „propterea quod“.

elucet omnibus culpis carens Jehovae fideliter deditus erat. Si igitur tecum reputaveris talem prosperum religionis statum testibus Veteris Testamenti annalibus raro tantum in Judaea floruisse, jam hanc alteram argumentationem, sententiam nostram firmantem non parvi aestimabis.

c. Si vaticinium Obadjae primis Usiae annis tribuendum est, facile praeterea perspicitur, cur (vv. 19 sq.) Ephraim et Samaria annumerentur regionibus aliquando a civibus Judaeae occupandis[32]). Omnium enim regionum illarum incolae brevi ante Usiae imperium seu hostilia contra Judam egerant seu aliis de causis iram Jehovae irritaverant[33]). Gileaditae tunc idololatria peccaverant (cf. Hos. 6, 8), Phoenices „usque ad Sareptam" teste Amoso (1, 9) Judaeos captos Idumaeis vendiderant. Notum est autem Ephraimitas quoque Amazia Usiae antecessore regnante Judaeam depopulatos esse (II Reg. 14, 12 sqq.); qui ergo optimo jure in prophetia nostra hostibus postea puniendis annumerantur, si Obadja temporibus Usiae vixit. — Non ignoramus, quae difficultates nobis inimicitias Israelitarum (vel Ephraimitarum) prementibus exoriantur ex versu decimo octavo, quo praedicatur, Judaeos olim cum Israelitis conjunctos profligaturos esse Idumaeos, hostes communes. Quam ob causam nonnulli interpretes vocem *beth Joseph* — v. 18 — non ad regnum Israeliticum sed ad Judam retulerunt. „Si Judaei et Ephraemitae inquit Maurerus[34]), junctis viribus Idumaeos dicuntur oppressuri: quomodo tandem fit, ut vs. 19. Judaei praeter alias terras Ephraimitarum quoque provincias occupaturi dicantur, Ephraimitae vero sintne pro amissis sedibus pristinis occupaturi alias et quasnam ne verbulo quidem dicatur?... Nihil igitur obstat, quominus *beth Joseph* idem exprimere putetur quod *beth Jaacob*, modo se offerant loci, ubi *beth Joseph* de toto dictum reperiatur populo Israelitico; de toto enim si dicitur potest etiam de duabus — quae tunc reliquae fuerunt (?) — praecipuis tribubus dici". Cui interpretationi assentiri non possumus. Quamquam enim Ps. 80, 2; 81, 6, fortasse etiam Am. 6, 6 „Joseph" per synecdochen totam domum Jacobi patriarchae significat, minime tamen Veteris Testamenti locus reperitur quo „*beth Joseph*" oppositum ceteris decem familiis Hebraeorum solam Judam cum Benjamino conjunctam indicet, quod regnum in meridiem spectans prophetae nostrae solum ante oculos versatur. — Jam Hieronymus recte perspexit, *beth Joseph* in hoc versu idem esse quod „domus decem tribuum"; omnis autem difficultas facillime solvitur hoc modo. Saepius a prophetis praenuntiatur, tempore messiano fore ut Ephraim et Juda iterum in unius populi corpus coalescant[35]). Ista tamen futura consociatio amborum regnorum a prophetis non sic describitur, quasi Ephraimitae et Judaei concordes quidem res publicas suas sint gesturi, ceterum vero utrumque regnum suae potestatis futurum sit; sed potius Israelitae tempore messiano ditioni Judaeorum eorumque regi Davidi subjecti apparent. Cf. imprimis Hos. 3, 5 et Ezech. l. c. v. 24. Juda usque ad tempora messiana per Veteris Testamenti aevum „a fratribus suis laudandus et venerandus a filiis patris sui" (Gen. 49, 8), etiam nato Messia in ceteros tribus Hebraeorum dominationem habebit. — Cui explicationi nostrae qui assensum praebuerit jam non Obadjae vitio vertet, quod et Ephraimitarum Judaeorumque

---

[32]) Non vertimus cum Masorethis et plurimis interpretibus (v. 20): „Captivi ... Israelitarum, qui inter Cananaeos usque ad Sareptam sunt", sed „Captivi ... Israelitarum quod Cananaeorum est usque ad Sareptam (occupabunt)", cui interpretationi quam solam rectam esse censemus similem jam S. Hieronymus in Vulgata hanc offert: „et transmigratio exercitus ... omnia loca Cananaeorum usque ad Sareptam" sc. possidebunt. — Priori illi versioni multorum recentium interpretum non annuimus quia ante *ascher kenaanim* non reperitur praepositio *be*. Falsum praeterea est cum Caspario l. c. p. 136 ita fere transferre: „Captivi ... Israelitarum, qui Cananaei sunt", ita ut *Kenaanim* sit praedicatum. Minime certe propheta popularibus suis nomen hostium istorum tribuere voluit; *ascher* potius objectum est dependens a verbo *jirschu* bis antea posito. Cf. Keil, l. c. p. 265.

[33]) De irruptionibus Idumaeorum et Philisthinorum supra sub 4, a disputavimus. — [34]) Maurer, Commentarius grammaticus criticus in Vet. Test. vol. II, p. 414 sq. — [35]) Ezech. 37, 16 sqq.; Zach. 10, 6; Hos. 3, 5.

communem in Idumaeam irruptionem (v. 18) et dominationem Judaeorum in Ephraimitas praedixit (v. 19). — Similiter versu primo voce *nequma* provocantur *gojim* (gentes) ad bellum contra Idumaeos, quum omnibus gentibus versibus 15 et 16 terribilis „dies Domini“ indicetur, — quae effata item possunt commode inter se conciliari.

d. Versus vigesimus, imprimis verba illa obscura *galuth hachel hasseh libne jisrael*, jam dudum ut ita dicam crux quaedam interpretum, nostra de aetate Obadjae sententia probata simpliciter possunt explicari. — Haec est accurata versus translatio: „Captivi hujus exercitus Israelitarum quod Cananaeorum est usque ad Sareptam (occupabunt) et captivi Hierosolymitani, qui in Sepharad sunt possidebunt oppida regionis meridionalis“. Propheta hoc loco sine dubio duas diversas turbas captivorum ante oculos habet, minimeque Judaeos tempore ejusdem belli captos et eodem loco exilii versantes oratorum tantum more variis nominibus vult vocare[36]). Quod colligatur necesse est ex diversitate regionum turbis illis redeuntibus ex captivitate assignatarum (Phoenicia et Judaeae pars meridionalis). — Quamquam autem plurimi interpretes, de diversis captivorum catervis hic sermonem esse nobiscum consentiunt, nondum tamen probabilem reperimus dissolutionem quaestionis, quinam fuerint hi, quinam illi captivi. Prioribus temporibus multi viri docti pro certo habebant, captivos „hujus“ exercitus esse Israelitas ab Assyriis anno 722 a. Chr. n. abductos et exules Hierosolymitanos nominari Judaeos a Chaldaeis annis 605, 599, 588 deportatos[37]). Quae interpretatio eapropter rejicienda est, quod Obadja non post sed multo ante eversionem Hierosolymorum a Nebucadnezaro factam vaticinatus est. — Ewaldius et Hitzigius opinantur, Obadjam verbis „Captivi hujus exercitus“ eos Judaeos significare, quibus adjunctus ipse vitam suam degerit, quum alii captivi aliis locis fuerint inclusi[38]). At isti quoque interpretes Obadjam multo post templi excisionem locutum esse perperam praesumunt. — Scheggius l. c. p. 392 haec fere profert: Propheta manu sua monstrabat regionem ubi captivi meridiem versus venditi commorabantur, ita ut vox „hujus“ sequenti „quae in Bosphoro est“ respondeat. Vix autem Scheggius comprobare possit, qua de causa Obadja gestu illo usus sit. Vates si reapse domicilium captivorum „hujus exercitus“ cognitum habebat, aut memor nominis Sepharad hoc quoque domicilium nominare aut iterum digitum septemtriones versus extendens „illos“ Judaeos captos captivis „hujus“ exercitus opponere debebat.

Omnes igitur interpretationes istas merito repudiantes arbitramur, Obadjam captivos in Sepharad (Sparta) — eosdem, quos ad *Javanim* (Graecos) venditos Joël propheta 4, 6 conqueritur — vocare populares suos tempore Jorami inter prius illud bellum abductos; captivos autem „hujus“ exercitus esse Judaeos tempore Obadjae tanquam in ipsius conspectu a Philisthinis et Arabibus modo ingressis raptos. Qui inter priorem illam irruptionem deportati erant jam multos ante annos ad certum omnibusque Hierosolymitanis notum domicilium pervenerant (Sepharad); habitatio vero modo captorum nondum plane designata vel nota erat, quapropter omnino fieri non potuit, ut Obadja alio modo illos significaret nisi verbis: captivi „hujus“ exercitus.

e. Nostram denique sententiam de aetate Obadjae secutus, facile, id quod summi momenti est, intelliges, quare oratio prophetica ex tempore praeterito in futurum transeat. — Compluries supra comprobavimus, verba *ba'u, jaddu, schethithem* (vv. 11 et 16) esse praeterita historica, comminationem autem (vv. 12—14) verbaque *tere', tismach, tagdel* ad tempus futurum esse referenda. Quae temporum mutatio potuit non solum sed potius debuit adhiberi, si Obadja et ad miseriarum tempestates regnante

---

36) Cf. Kusznitzki, l. c. p. 32 et 41: „Pronomen demonstrativum *hasseh* partem significat exsulantium Judaeorum ex multitudine exemtam ... itaque utrumque *galuth* eosdem significat“.

37) Sic Schnurrer, Hendewerk alii; cf. Jaeger l. c. p. 35. — 38) Ewald, Commentar, p. 403 sq. Hitzig l. c. p. 354.

Joramo (889—882) saevientes, quarum vestigia etiam ipsius tempore manifesta erant, respexit (unde praeterita in vv. 11 et 16), et praemonuit Idumaeos, inimicitiam suam modo renovantes, ne priora scelera nefanda iterarent (cf. verba futura in vv. 12—14). — Concedere debes, hac sola interpretatione omnibus praeceptis grammaticorum satisfieri, quam ob rem Casparii sectatores in minatione illa nitentes aeque ac recentiores eorum adversarii praeterita historica prementes in nostra sententia convenire et acquiescere possunt.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Encyclopaediam theologiae docebit dieb. Lunae h. X, Jovis h. XI.
II. Theologiam pastoralem tractabit quotidie h. VIII.
III. Disputationes de rebus theologicis instituet horis definiendis.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Apologeticen tradet dieb. Lunae et Mercurii h. II.
II. Theologiam dogmaticam tractabit dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. X.
III. Repetitiones dogmaticas instituet die Saturni h. X.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Theologiam moralem docere perget dieb. Lunae, Martis, Mercurii h. IX.
II. Antiquitates ecclesiasticas tradet dieb. Jovis et Veneris h. IX.
III. De arte ecclesiastica disseret die Saturni h. IX.
IV. Historiam ecclesiasticam primi aevi enarrabit horis definiendis.

Lic. Hugo Weiss, P. P. E.

I. Psalmos interpretabitur ter per hebd. h. VIII.
II. S. Pauli epistolam ad Romanos explicabit ter per hebd. h. VIII.
III. Antiquitates sacras Hebraeorum tradet bis per hebd. horis definiendis.

Prof. historiae ecclesiasticae et juris canonici, quum renunciatus fuerit, lectiones indicabit.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Physicen docebit experimentisque illustrabit et conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae, Martis et Jovis hora XI.
II. Aut astronomiam popularem cum astrognosia coniunctam exponet aut trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: v. Sniadecki's sphärische Trigonometrie übersetzt von L. Feldt tradet diebus Mercurii et Veneris hora XI.
III. Calculum differentialem et integralem tradet et doctrinam de integralibus definitis ad varias quaestiones applicabit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiae recentioris partem priorem tradet ter per hebd. hora VIII.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebd. hora VIII.
III. Historiam poesis Christianae maxime apud Germanos exponet hora definienda.
IV. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret bis per hebd. hora VIII.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

I. Psychologiam tradet quater per hebdomadem hora X.
II. Metaphysicen docebit bis per hebdomadem hora X.
III. Ex Aristotelis Metaphysicis capita selecta interpretabitur horis definiendis.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Pindari carmina interpretabitur ter per hebdomadem h. IX.
II. De Eusebii Caesareensis scriptis disseret bis per hebdomadem.
III. In seminario suo patrologico Patres apostolicos tractabit ter per hebdomadem.
IV. Romani quomodo deos coluerint exponet bis per hebd.

Dr. Jos. Krause.

I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
II. Logicam et noeticam docebit ter per hebd. h. X.
III. Historiam philosophiae medii aevi enarrabit semel per hebd. h. X.

PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Lic. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et Astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in currentem annum propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine litterario has quaestiones proposuerat:

I. Ex instituto Regio: „Basilii Magni de Spiritu Sancto doctrina“.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: „De institutione et disciplina catechetica, quae in S. Cyrilli Hierosolymitani catechesibus occurrit“.

De priore quaestione libellus traditus est insignitus his verbis: „Quum ea, quae (Basilius) de Spiritu Sancto scripsit, evolvo, Deum, quem habeo, nanciscor etc." Gregorius Naz. orat. 20.

Auctor commentationis rem propositam convenienter disposuit et laudabili industria insignique disserendi dexteritate pertractavit. Quapropter Ordo Theologorum illum, quamquam passim oratione parum limata usus est, constituto praemio dignum judicavit.

Aperta schedula innotuit:

Paulus Jedzink, stud. theol.

De altera quaestione opusculum exhibitum est sic inscriptum: *Λάμβανε οὖν πρῶτον ἀῤῥαγὲς θεμέλιον τὸν σταυρὸν καὶ ἐποικοδόμει τὰ λοιπὰ τῆς πίστεως.* Cyrilli cat. 13, n. 38.

Auctor hujus libelli pari modo materiam tractandam apte digessit et magna cum cura ac diligentia persecutus est, sermone utens plerumque satis polito, interdum vel nimis artificioso. Illum quoque praemio honorandum esse Ordo decrevit.

Reclusa charta prodiit:

Ferdinandus Spiring, clericus.

Ordo Philosophorum ex instituto Regio hanc quaestionem proposuerat:

Inter libri Kantiani, qui inscribitur „Kritik der reinen Vernunft" editionem priorem alteramque discrimina quae intercedunt accurate exponantur, examinatis virorum doctorum controversis hac de re latis sententiis, aestimatoque momento, quod ex ea in philosophiam recentiorem redundaverit.

Una commentatio ordini oblata est, his verbis inscripta:

„In den Sätzen selbst und ihren Beweisgründen, ingleichen .... der Vollständigkeit des Plans habe ich nichts zu ändern gefunden". Kant. Crit. r. p. praef. edit. alt.

Quam qui conscripsit, editionem priorem alteramque libri Kantiani satis diligenter ac scite, controversias virorum doctorum aliqua ex parte tractavit; quomodo philosophia recentior ea re affecta esse videretur, non exposuit.

Latina oratio multis locis limae curam testatur. Quapropter Ordo, difficultatis rei ratione habita, commilitoni, qui se paucos hos menses civibus academicis adscriptum esse indicavit, ut ad studia litterarum eum incitaret, praemium constitutum censuit concedendum esse.

Aperta charta innotuit nomen auctoris:

Henricus Benjamin, stud. phil.

In sequentem annum commilitonibus Lycei Regii Hosiani quaestiones proponuntur hae:

Ab Ordine Theologorum.

I. Ex instituto Regio: Clementis Alexandrini de divitiis sententia ex libello eius, qui inscriptus est: *Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος;* eruatur et ponderetur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: Tertulliani de paganismo sententia exponatur.

Ab Ordine Philosophorum.

Ex instituto Regio: „M. Tullii Ciceronis de iure, legibus, republica sententia exponatur conferaturque cum doctrinis Graecorum philosophorum".

Certantium commentationes sermone latino conscriptae et more consueto signatae ante d. XV. m. Januarii anni MDCCCLXXIIII Rectori Lycei tradendae sunt. Praemia victoribus constituta XXV. impp.

Promulgatum in sollemnibus **Serenissimi Imperatoris et Regis Guilelmi** nataliciis die XXII. Martii anni MDCCCLXXIII.